

VIII. *Sectio Oculorum duorum Cataractâ affectorum.*
Epistola Domini *ad Samuelem*
Molyneux Armigerum, Serenissimo Principi
Walliæ a Secretis, R. S. S.

Johannes Wright, fenex milesque emeritus, suffusione seu Cataractâ utriusque oculi laborans, visu tandem omnino privatus est. Curâ se commisit Domini *Caywood*, Oculistæ *Dubliniensis*, qui acu punctoriâ oculum utrumque perforavit ad Crystallinum è sede suâ deprimendum. Operatione verò in oculo dextro minus feliciter succedente, sinistri usum solummodo recuperavit. Paucis mensibus post operationem peractam, in hospitium regale militum emeritorum prope *Dublinium* receptus est, ubi per annos octo vel novem mansit, & per totum istud tempus, visus aciem satis acutam habuit, adeo per urbem solus ambularet, & sodalium facies distinguere posset. Mortuus est tandem 5^o die Aprilis 1722. suffocatus per casei morsulum hærentem in gula, quam adeo arctam habuit, ut eundem mortis aditum paucis abhinc annis bis ægre evaserit. Oculi ejus, e cranio exempti, missi sunt per Nosocomii Chirurgum ad D. *Thomam Molyneux* Medicinæ Doctorem, Collegii Med. Regalis in *Hibernia* Socium, & in Academia *Dubliniensi* Medicinæ Professore. In ædibus ejus cultro Anatomico aperti sunt, per Oculistam supraddictum, meque, ut interesset operationi, accersere dignatus est. In oculo sinistro (cujus aciem recuperatam fuisse supra notavimus) sublatâ corneâ cum portione tunicæ scleroticæ, ne vel minimum invenimus rudimentum pelliculæ in aqueo humore fluctuantis, aut limbo iridis adnatæ,
sicut

sicut se observasse scribit *Wolbousius*. Quod vero multo magis mirandum est, nullæ prorsus reliquæ inventæ sunt humoris CrySTALLINI, cujus opacitati morbum adscribit Doctor *Brisseus*. Humor Vitreus, quoad situm & consistentiam, nihil præternaturale oculis nostris exhibuit; tunica choroidea & retina fusci coloris erant tam intus quam extra. In oculo dextro eadem omnia observavimus; nullum nempe pelliculæ aut CrySTALLINI rudimentum occurrebat. Tunica cornea rugosa erat & flaccida, quod aqueus humor per puncturam extravasatus, numquam renovatus sit: adeoque istius oculi usum amisit penitus. CrySTALLINI vero defectum quod attinet, res est prorsus inaudita, neque ab ullo Anatomico, quantum scio, defuisse observatus est, vel leviter suspectus. Militem hunc CrySTALLINUM habuisse in utroque oculo ante operationem, nullus dubito; cum vero acu a sede sua detrusus est, ligamentis ciliaribus vasisque, quibus nutrimentum hausit, penitus disruptis, eum sensim contabuisse credo, tandemque in auras dissipatum fuisse. Summopere vellem hanc rem experimento sæpius iterato confirmatam esse: suspicor enim idem semper evenire statim tempore post depressum CrySTALLINUM.

Hoc certo constat ex hac historia, hominem nempe absque CrySTALLINO videre posse, contra opinionem *Wolbousii* Oculistæ *Parisiensis*, eaque amplius confirmatur sententia D. Doctoris *Brissei* de Cataracta, quem consulas quæso super hac re.